



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 1. Nihil deesse timentibus Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

amarum sit, relinquere Dominum Deum, ac
fodere sibi cisternas dissipatas. Duo enim,
ait, mala fecit populus meus: Me derelique-
runt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cister-
nas dissipatas, que continere non valent aquas.

Ierem. 2.

19.

Ierem. 2.

13.

C A P V T XII.

*Non solum Religiosos & peculiares Dei
seruos, sed & seculares prodigiose
curatos & pastos.*

§. I.

Nihil deesse timentibus Deum.

NE quis autem existimet, Prophetis
tantum, atque Apostolis, virisque
Eremitis, & Religiosis hanc à Deo
curam impendi, suppetunt & rationes, &
præter ea, quæ de Lydwina diximus, alijsq.;,
alia exempla, quæ demonstrant, hanc pater-
nam filiorum alendorum præudentiam, in
alios quoq; fuisse corriuatam. *In præmissis*
veritatis nemo dubitet, inquit D. Hierony-
mus. *Sit homo, qui esse debet, & mox addentur*
ei omnia, propter quem facta sunt omnia. Quid-
quid est in hoc terrarū orbe, hominis cau-
sâ, conditum est. Nihil igitur se hominis v-
tilitati subducet, nisi ille se Dei obsequio
subducat. Igitur si homo ad eam, quam Deo
debet,

Supra,
c. 18.S. Hieron.
in c. 6.
Matth.

debet, seruitutem redeat, jure quodam suo,
etiam cætera, tanquam sua, sibiq; debita re-
cuperabit, siue religiosus is sit, siue comuni
hominum lege, extra omnem religiosum
ordinem, viuat. Siquidem generali prouid-
entia Deus omnibus consulit ; peculiari
verò filijs suis. Quo quis enim magis filij
nomine dignus est, eò magis eum curare
vniuersi parens deberet.

§. II.

*Magis curari à Deo, qui Deum ma-
gis curant.*

Matth. 5.

45.

Quòd si Deus etiam lilijs, & passeribus,
& capillis capitis intendit, prouidentiamq;
præstat ; quòd si solem suum oriri facit etiā
super injustos ; quantò magis justis omnia
necessaria prouidebit ? Illud quidem faten-
dum est, sanctiorem quemque, ab omni cu-
ra temporali impensiùs mentem auellere, vt
eam totam possit impendere Deo. Quare
sicut ille solum Deum curat, ita obligat vi-
cissim Deum, vt illum ita curet, quasi solum
curet. Non neglit tanta bonitas eos, qui se
totos in illam projecerunt. Itaque magis
tales curantur, quàm si seipso curarent ; &
maiores eorum rationem habet Mundi
Gubernator, quàm illorum, qui curas ani-
mumq;